

CAPUT I.
DE CAUSA FINALI MUNDI.

Finis
ultimus duplex,
proximus
et remotus:
uterque
tractandus.

Finem duplicem distinximus in *Ontologia*, proximum et remotum vel ultimum. Finis ultimus communis est pluribus aut etiam omnibus entibus mundanis; proximi autem sunt singulorum proprii. Utrumque ergo genus finium hic tractare necesse est: ultimum quidem, quia sine illius cognitione manca et imperfecta maneret cognitio præstantissimæ hujus rerum universitatis. Proximos autem, quia quamvis nequeat illos singillatim determinare *Cosmologia*, eorum tamen existentiam generatim asserere ac demonstrare debet contra innumeros casus fortuiti patronos, qui, negata finium veritate, ordinem pulchritudinemque mundanam perimunt, essentialium corporearum notitiam impossibilem reddunt, ac totam naturalem Philosophiam excindunt.

ARTICULUS I.

Utrum habeant entia mundana fines sibi præstitutos, ad quos tendant.

Necessitas
hujus questionis
tractandæ.

86. Quamquam elucet in mundo constantissima et ordinatissima series causarum et effectuum, per quam certæ res non procedunt, nisi ex certis ac determinatis aliis, certoque ac determinato modo; dubitari tamen adhuc potest, num vel quatenus asserendi sint causis fines, propter quos agant, et existant in rerum natura. Ex eo enim quod unum sequatur ex alio, vel fiat ab alio, non illico infertur illud fieri propter finem. Cum enim finis sit id, cujus gratia aliquid fit, tum solum causa finem sibi præstitutum habere dicenda est in essendo, vel in operando, quando est, vel operatur propter aliquid, intendendo nimirum illud. Unum autem fieri ab alio concipi potest absque intentione et ordinatione naturæ, ex mera nempe necessitate. Sic pluit, dicit quispiam, non ut segetes crescant, sed ex mera necessitate materiæ, videlicet quia vapores aquei aërem saturantes, cum frigescent, liquefiunt, ac pondere suo deorsum necessario feruntur; quod

cum accidit, si forte satæ segetes beneficio pluvie crescant, pluvia certe erit causa, cur segetes crescant, incrementum autem segetum non est finis pluendi. Non ergo pluit, ut segetes crescant, sed quia pluit, segetes crescent. Quomodo etiam pluente cælo, corrumpuntur quandoque segetes in area; et homines madefiunt, et agri inundant: et nihilominus nequit dici ideo pluere, ut hæc contingant; sed hæc contingere, quia pluit, sine intentione naturæ. Similiter dixerit quispiam, quod non habemus oculos, ut videamus; sed e converso videmus, quia oculos habemus: sicut non ideo cæcus aliquis est, ut non videat; sed non videt, quia cæcus est. Et idem dici posset de aliis generatim effectis naturalibus, ea casu et præter intentionem accidere (1).

Et sic negarunt e veteribus causas finales in natura præter Anaxagoram et Empedoclem, qui prorsus tacuerunt de finibus (2), Democritus, Epicurus et Lucretius, et generatim materialistæ omnes, qui mundum ex atomis temere huc illuc volitantibus ac tandem in unum casu coeuntibus coaluisse commenti sunt. Quibus accinunt tum Spinoza (3) cum pluribus aliis pantheistis, tum Darwinistæ et evolutionistæ cum recentioribus materialistis ac positivistis; hi omnes tendentiæ omni teleologica tam infensum bellum indixere, ut operationem omnem effectumque naturæ, vel fortuito adjunctorum et circumstantiarum concursui vel cæcæ cuidam fatalique sese evolvendi necessitati adscribendum esse decernant. Kantius etiam scepticorum et idealistarum more, quamquam admitat finalitatem tamquam principium dirigens mentem in investiganda veritate, omnem tamen valorem objectivum denegat finalibus causis.

Alii vero fuerunt, qui sin minus negarent causas finales, saltem eas scrutandas non esse in scientiarum naturalium

Causarum
finalium ocores.

(1) Vide apud Arist. (lib. 2, *Physicor.* cap. 8, text. 76). Cfr. S. Thom. ib. (lect. 12, paragr. 5), Mauri (in Comment. lib. 2 *Physic.* cap. 9, text. 76), Tolet. (ibid.) Quam difficultatem veterum materialistarum carmine expressit Lucretius, (lib. 4, vers. 822 seqq.).

(2) Apud S. Thom. (*Physicor.* lib. 2, lect. 12). Cfr. Aristot. (lib. 1, *Metaph.* cap. 4 et 6).

(3) *Ethic.* pars. 1 in appendice ad propos. 56.

studio existarunt (1): vel quia finium inquisitio ad Metaphysicum pertinet, ut scripsit Baco a Verulamio (2); vel quia nimis arrogans sit, fines investigare, quos Deus in rerum creatione intendit (3). Quare ea insequitur quorundam scolorum animis post Baconem opinio, finium inquisitionem non modo sterilem esse, verum etiam nocere causarum efficientium cognitioni, eamque præpedire.

Vera sententia.

Contra hos omnes communi ore causas finales propugnarunt tum Peripatetici cum Socrate (4), Platone (5), Aristotele (6), Plutarcho (7) et Seneca (8), tum christiani Philosophi cum Patribus Ecclesiæ (9): et «recentioribus temporibus Leibnitzius potissimum, Bernouilli, Newton, Cuvier, alii patrociniū causarum finalium susceperunt, quin et pars haud exigua illorum rerum naturalium peritorum, qui nonnihil theoriæ *descendentia* favent, evolutionem istam... non sine aliquo ejusdem principio *teleologico* evenisse censent» (10). Neque vero solum causas finales agnoverunt Philosophi christiani, sed etiam eas accurate inquirendas esse senserunt, eademque aptissimas esse ad rerum essentias detegendas, demonstrandasque (11). Si enim dantur fines

(1) Ita inter alios Baco a Verulamio, Cartesius, Robinet, Buffon; Laplace apud P. Pesch. Op. cit. n. 84. 4.^o

(2) *De Dignitate et Argumento scientiar.* lib. 3, quest. 4 seqq., *Nov. Organ.* lib. 2, appor. 2.

(3) Cartes., *Princip. Philos.* part. 1 n. 28; part. 3. n. 2.

(4) Xenoph. *Memor.* 1, 4; 2 seqq.

(5) In *Phædon* dial. p. 2; *de Legib.* lib. 12.

(6) Lib. 2 *Physicor.* cap. 8, text. 76; *de Gener. et corrupt.* lib. 2; *Metaph.* lib. 1, cap. 4.

(7) *De Placit. Philos.*, lib. 1, cap. 5.

(8) *De Providentia.*

(9) Vide Clem. Alex. (*Stromat.* 5). Athanas (*Advers. Gen.* n. 37 seqq.). Gregor. Nanzianz. (*Orat. 2 de Theol.*), August (lib. 1 *de Ord.*, cap. 2; lib. 5 *de Genes. ad litter.*), Lactant. (*de Opif. Dei*, cap. 6), Basil. (*Hexæm.*), Ambros. (*Hexæm.*), Chrysost. (*de Providentia Dei*), ac Theodoret (homil. 1 *de Provid.*), aliosque apud Conimbric. (lib. 2 *Physicor.* cap. 9, q. 1. art. 2 fin.), Rubium (lib. 2 *Physicor.* tract. 8, cap. 8, quest. unic.), Pesch. (*op. cip. lib. disp. 2, sect. 2, n. 85 in nota*).

(10) Pesch. *ibid.*, ubi plures citantur finalium causarum patroni in nota 6, pag. 74, Fuburgi Brisgovia, 1880.

(11) Vide S. Thom. lib. 2 *Physicor.* lec. 15, parag. 6.

rerum naturales, planum est eos essentiis consentaneas esse debere: quare cognitio rerum finibus, optimum suppedit argumentum ad essentias ipsas explorandas (1).

Cæterum antequam ad argumenta veniamus, animadvertere oportet tendentiam in finem importare inclinationem ac directionem ad aliquid obtinendum, ac duplici modo concipi posse: primo et perfectissimo modo ita, ut agens cognoscens finem ac proportionem mediorum, se *agat*, et moveat versus illum; et hic modus est proprius causarum intellectualium, Dei, angelorum, hominis. Secundo ita, ut agens feratur in finem, quasi motum ac directum ab alio, quia nempe ipsum cognoscere nequit rationem finis, ut se ad illum promoveat. *Aliquid movetur vel operatur propter finem dupliciter*, inquit S. Thomas: *uno modo sicut agens seipsum in finem, ut homo et alia creatura rationales; et talium est cognoscere rationem finis et eorum, quæ sunt ad finem. Alio modo aliquid dicitur operari vel moveri propter finem, quasi ab alio acum vel directum in finem, sicut sagitta movetur directa in signum a sagittante, qui cognoscit finem, non autem sagitta.* (2). Verum hæc amplius patefient in decursu tractationis.

Quid importet tendentia in finem, et quotuplici modo dari possit.

87. PROPOSITIO. In rerum natura omnia agunt propter finem, seu dantur causæ finales in mundo.

Prob. 1.^o A priori. Tota natura tendit in aliquem finem, si Auctor illius eam ad aliquid ordinavit. Atqui Auctor mundi non potuit eum et singulas ejus partes ad certum aliquid non ordinare; siquidem sapientissimus est, sapientis vero est nihil temere agere, sed omnibus operibus proprios fines assignare. Ergo...

Prob. 2.^o Agentia vel sunt rationalia vel irrationalia. Atqui utraque agunt propter finem. Ergo...

De rationalibus patet res ex testimonio propriæ conscientia. Probatur autem de irrationalibus argumento S. Thomæ. *In his... quæ manifeste propter finem agunt, hoc dicimus esse finem, in quod tendit impetus agentis, hoc enim adipiscens*

Dantur causæ finales in mundo.

(1) Vide S. Thom. *Poster. analyt.*, lib. 1, lect. 16.

(2) 1 p., q. 103, art. 1 ad 1.^{um} Cfr. 1 p., q. 60, art. 1; 1. 2, quest. 1, art. 2 in corp. et ad 1.^{um}

dicitur adipisci finem, deficiens autem dicitur deficere a fine intento; sicut patet in medico agente ad sanitatem, et in homine corrente ad certum terminum. Nec differt, quantum ad hoc, utrum quod tendit in finem, sit cognoscens vel non: sicut enim signum est finis sagittantis, ita est finis motus sagittæ. Omnis autem agentis impetus ad aliquid certum tendit; non enim ex quacumque virtute quævis actio procedit, sed a calore quidem calefactio, a frigore autem infrigidatio: unde et actiones secundum diversitatem activorum, specie differunt. Actio vero quandoque terminatur ad aliquod factum, sicut ædificatio ad domum et sanatio ad sanitatem; quandoque autem non, sicut intelligere et sentire. Siquidem actio terminatur ad aliquod factum, impetus agentis per actionem tendit in illud factum; si autem non terminatur ad aliquod factum, impetus agentis tendit in ipsam actionem. Oportet igitur quod omne agens in agendo intendat finem, quandoque quidem actionem ipsam, quandoque aliquid per actionem factum (1).

Prob. 3.^o «Rursus hoc ipsum palam indicant in animalibus tot membra, tam ordinate, tam providenter effecta; tot partium descriptio, non ad speciem solum et elegantiam, sed etiam ad usum apta; tot organorum apparatus; tot vires et potentie: tot multiformi contextu instrumenta. Quæ omnia ad agendum, atque adeo alicujus finis gratia, tributa esse qui neget, amens est. Quid enim magis a ratione alienum esse potest, quam existimare ea, quæ humana arte fiunt, ad aliquem finem effici; ut navem ad navigandum, domum ad arcendas cæli injurias: quæ vero tam admirabili solertia, tam excellenti divinaque ratione perfecta sunt, ut ea nulla humana ars assequi imitando possit, vago et incerto fluitantis naturæ motu in eam formam ac speciem coaluisse, neque ad scopum ullum fuisse destinata? (2)

Præbatio hæc fuse et erudite dilatatur a Paulo Janet, ubi declarat mirificam membrorum in corpore organico aptitudinem ad suas functiones, et correlationem partium inter se mutuumque juvamen ac proportionem ad suas actiones in bonum totius eliciendas. Neque vero solum partes organa

(1) S. Thom. 3.^o *Contr. Gent.*, cap. 2.

(2) Conimbric., *Physicor.*, lib. 2, cap. 7 et 8, quæst. 1, art. 1.

diversa constituentes aptissime connectuntur, sed operationes vel functiones quoque illorum artissime invicem consertæ apparent ita, ut aliæ alias necessario præsupponant: sic respiratio requirit circulationem, quæ sanguinem ad organum respirationis deferat; circulatio vero præsupponit irritabilitatem musculorum, sine qua contrahi cor nequit, nec proinde sanguis moveri, irritabilitas denique ipsa ne rvorum actionem postulat (1). Quæ omnia similis modo considerari possunt in plantis, ac manifesta sunt indicia finalitatis.

Prob. 4.^o ex animalum instinctu. «Idem enim testatur brutorum animantium in fœtibus educandis ingenii plenus amor; in operibus conficiendis artificium; in quærendo cibo industria; in se suaque specie tuenda et conservanda sollicitudo; arma, astus, stratagemata, quibus hostem aut agrediuntur, aut declinant. Quæ omnia cum tanto naturæ impetu et alacritate ab eis fiant, liquidum est, effici alicujus commodi et boni gratia, ac proinde ob aliquem finem» (2).

In natura inorganica non reperiuntur prima fronte tam manifesta vestigia finalium causarum. Nihilominus in phaenomenis crystallizationis in variis proprietatibus elementorum et communibus ligibus naturæ, in ordinatissimis vicibus generationum corruptionumque corporearum, in compositione aëris atmospherici, aquarum sive marinarum sive fluvialium, ac terræ vegetalis, in ordinatissimis astrorum motibus, in universo denique ordine mundano, quem superius per summa capita descripsimus, qui non agnoscat nativas rerum ad certos fines tendentias, sed cæcum dumtaxat casus opus consideret, scepticus plane sit, aut certe contrariis præjudiciis imbutus, necesse est: ex his enim omnibus manifestum fit totam rerum universitatem præ se ferre speciem

(1) Vide Paul Janet (*Les causes finales*. Deuxième édition., lib. 1, chap. 1), ubi hæc egregie declarantur. In eodem opere ac libro, cap. 2 ex structura oculi, auris, cordis aliorumque organorum causæ finales in eorumdem fabricatione demonstrantur. Bene etiam hæc declarat P. Pesch (*Los grandes arcanos del universo*. Version castellana de D. Eberardo Vogel, y D. J. M. Orti y Lara, vol. 1, part. 2, cap. 4).

(2) Conimbric. loc. nup. cit. Cfr. Paulus Janet, Op. cit. livr. 1, chap. 2, pag. 110. Paris, 1882; itemque cl. P. Pesch, qui fuse et erudite ista persequitur in cit. op. *Los grandes arcanos del universo*, vol. 1, part. 2, cap. 4.

cujusdam immanis organismi, in quo dum singula membra ad actus sibi proprios ex certissima naturæ propensione tendunt, ac determinantur, aliis quoque deserviunt, atque ad bonum commune et conservationem universalis ordinis miro consensu conspirant. Sic elementa corporea suis instructa viribus et affinitatibus, agunt invicem secundum certas leges, et composita chimica modo conflant, modo dissolvunt; utraque vero ad bonum viventium, sive vegetalium, sive animalium et hominis, ordinantur ita, ut perpetuo generationum et corruptionum circulo universalis ordo mundi conservetur. Unde quo magis naturales scientiæ progrediuntur, manifestius apparet omnia *in numero, pondere ac mensura* condita et constituta esse, atque ita omnino ordinata, prout certissime disponderet, ac dirigeret sapientissimus potentissimusque artifex, qui cognoscens proprietates, virtutes ac leges omnium corporum, quibus mundus coalescit, eadem, quæ nunc cernimus, phaenomena, eosdem processus, eundem cursum naturæ intenderet. Ergo omnia *re vera* præstitutos sibi fines habere fatendum est: velle enim hæc omnia puro casui adscribere vel fortuito causarum concursui, ridiculum prorsus est atque absurdum et prorsus communi sensui repugnans, ut per se patet, et ex superius scriptis circa mundanum ordinem creationemque ab intelligenti aliqua causa sapientissima peractam evidentius cognosci potest. Si enim valde improbable est ex pluribus elementis ad varias dispositiones indifferentibus unam aliquam ad certum scopum aptam temere et absque illius dirigentis consilio resultare; quid, quæso, dicendum erit de infinita propemodum elementorum multitudine, quæ ad certa quaedam munera exercenda ordinemque mundi constantissime conservandum accommodatissime constituta miramur? (1).

Dices fortasse, posse revera omnia, quæ cernimus, utcumque ordinatissima videantur, per causam fortuitum explicari, si ponamus ab initio innumeratas extitisse compositiones partium ac membrorum inutiles ac monstrosas, puta hominum semibovum, vel semiarborum, habentium oculos in pedibus, dentes in naso, vel ore carentium aut aliiis organis ad vitæ

(1) Vide supra n. 25 et 54.

conservationem necessariis: quæ compositiones quia ineptæ erant, perierunt, aliæ autem quæ utiles erant eoque pacto factæ, quo fieri potuissent per artem, remanserunt, ac deinceps propagatæ sunt. Ita Empedocles (1), cujus levissima commenta post tot sæcula, tamquam novum aliquid inventum in medium protulit Maupertuis (2).—*Resp.* absurdam prorsus istam esse hypothesim: 1.^o quia nulla ratione fulcitur; nec ulla sunt indicia ineptarum illarum compositionum: 2.^o quia nisi adfuisset jam inde ab initio finalitas, nec nunc foret, ac proinde etiam nunc cerni passim deberent ineptæ hujusmodi compositiones; immo vero hæc multo plures esse deberent, quam aptæ et utiles, hæc autem tanto rariores ac pauciores, quo minor est probabilitas ut ex plurimis partibus, quæ diversimode componi possunt, certa quædam ac determinata compositio resultet. Nec valet dicere, quod aptæ, quas nunc unice cernimus, a prima, quæ apta et utilis casu extitit, naturaliter propagentur. Nam posito casu et exclusa penitus finalitate, nulla prorsus supponi potest in apta aliqua compositione determinatio, ut solum sibi similes atque adeo aptas alias compositiones pariat; quare ratio nulla potest assignari, cur aptæ dumtaxat appareant nunc compositiones, et cur monstra nonnisi rarissime cernantur. 3.^o Objectio denique supponit evidentem absurdum commentum mundanorum corporum casu et absque ullius sapientissimi Auctoris actione et interventu existentium, quod superius tamquam impium, hæreticum rationique naturali manifeste repugnans multis exclusimus.

Prob. 5.^o Quæ non fiunt casualiter, fiunt propter finem. Sed effectus naturales non fiunt casualiter. Ergo fiunt propter finem.

«*Probatur Minor.* Quæ semper vel fere semper fiunt uno pacto, non fiunt casualiter: ex. gr. nemo dicit casualiter accidere, ut, sole existente in signo leonis, sint magni calores, quia accidit id semper, vel fere semper; sed si, sole existente in leone ingeret, diceretur id casualiter contigisse, quia raro contingit. Sed quod homines habeant oculos

(1) Apud Aristot. lib. 2 *Physicor.* cap. 8, text. 76.(2) *Cosmologie*, Œuvres, tom. 1, pag. 11.

in fronte, et non in pedibus; quod habeant dentes anteriores acutos, maxillares latos, accidit semper, vel fere semper. Ergo non est casuale, sed oritur ex eo, quia natura et causæ hominis productivæ intendunt finem utilitatis resultantis ex dentibus ita se habentibus» (1). Hæc est prima ab Aristotele aducta in hanc rem ratio (2).

Prob. 6.^o *Si agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc, quam illud. Ad hoc ergo, ut determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habeat rationem finis* (3). Atqui natura determinata est ad certos ac determinatos effectus certo ac determinato modo faciendos. Ergo agit propter finem.

Prob. 7.^o Nisi natura ageret propter finem, non darentur monstra in mundo. Atqui dantur. Ergo...

Major. patet. Nam monstra se habent in natura, sicut peccata et errores in arte. Jam vero errore et peccatum in arte tunc solum obtinet, cum artifex non attingit finem intentum, *Si enim ars non ageret ad determinatum finem, qualitercumque ars operaretur, non esset peccatum, quia operatio artis æqualiter se haberet ad omnia* (4). En alteram ex rationibus Aristotelis (5).

Præclare Angelicus Doctor: *Peccatum non invenitur nisi in iis, quæ sunt propter finem: nec enim imputatur alicui ad peccatum, si deficiat ab eo, ad quod non est: medico enim imputatur ad peccatum, si deficiat sanando naturam, non autem ædificatori aut grammatico. Sed peccatum invenimus in bis, quæ fiunt secundum artem, sicut cum grammaticus non recte loquitur; et in iis, quæ sunt secundum naturam, sicut patet in partibus monstruosis. Ergo tam agens secundum naturam, quam agens secundum artem et a proposito, agit propter finem* (6).

(1) Sylvester Mauri, Comment. in lib. 2 *Physicor.* cap. 9, text. 77.

(2) Lib. 2 *Physicor.* cap. 8, text. 77. Cfr. ib. S. Thom.; Tolet., Conimbric. etc.

(3) S. Thom. 1, 2, quæst. 1, art. 2. Cfr. 3.^o *Contr. Gent.* cap. 2. Item, si agens non tenderet.

(4) S. Thom. lib. 2 *Physicor.* lect. 14, initio.

(5) Aristot. lib. 2 *Physicor.* cap. 8, text. 82.

(6) S. Thom. lib. 3.^o *Contr. Gent.* cap. 2, *Amplius, Peccatum.*

Idemque confirmat communis omnium sensus. Omnes quippe distinguunt inter ea, quæ sunt a casu, et inter ea, quæ sunt naturalia. Sed nequeunt hæc per aliud distingui, nisi quia naturalia, secus atque fortuita, sunt ex ordinatione et intentione nature certo processu certisque mediis, et semper, vel saltem plerumque, ita operantis. Nequeunt enim distingui ex eo solum, quod naturalia ex necessitate contingant, quia dantur etiam fortuita, quæ necessario accidunt quandoque (1). Unde scribente Aquinate cum Aristotele, *Ille qui... dicit naturam... non agere propter aliquid, destruit naturam et ea, quæ sunt secundum naturam. Hæc enim dicuntur esse secundum naturam, quæcumque ab aliquo principio intrinseco moventur continue, quousque perveniant ad aliquem finem, non in quocumque contingens, neque a quocumque principio in quemcumque finem, sed a determinato principio in determinatum finem* (2). Vide plura apud Aristotelem (3) et veteres auctores (4).

Ex allatis argumentis plane cernitur inanem penitus esse rationem dubitandi initio quæstionis hujus propositam. Exemplum enim pluvie ad rem conficiendam ineptum est. *Nam pluvia licet habeat necessariam causam ex parte materiæ, tamen ordinatur ad aliquem finem, scilicet ad conservationem rerum generabilium et corruptibilium; propter hoc enim est generatio et corruptio in istis inferioribus, ut conservetur perpetuum esse in eis. Unde augmentum frumenti inconvenienter accipitur in exemplum, comparatur enim causa universalis ad effectum particularem. Sed hoc etiam considerandum est, quod augmentum et conservatio terræ nascentium accidit ex pluvia, ut in pluribus, sed corruptio accidit ut in paucioribus. Unde*

(1) Cfr. Conimbric. lib. 2 *Physicor.*, cap. 8, q. 1, art. 1, *Præterea...*

(2) S. Thom., Lib. 2 *Physicor.*, lect. 14, paragr. e, super. Aristot. text. 86, cap. 8, lib. 2.

(3) Lib. 2 *Physicor.*, cap. 8, text. 77 seqq. Cfr. ibid. S. Thom., lect. 12 seqq.

(4) Conimbric. (lib. 2 *Physicor.*, cap. 8 et 9 quæst. 1), Tolet. (ibid. q. 12), Rub. (ibid., cap. 8, quæst. unic.), Suar. (disp. *Met.* 23, sect. 10), Molina (in 1. p., quæst. 2, art. 3, paragr. *Quarto et postremo loco, quoniam a fine*) Theophil. Raynaud. (*Theolog. natural.*, dist. 5, art. 6).

licet pluvia non sit propter perditionem, non tamen sequitur quod non sit propter conservationem et augmentum (1).

Replica vero Empedoclis non refutationem, sed irrisionem meretur.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

88. *Objic. 1.^o* Quæ fiunt propter finem, ordinata sunt. Atqui in mundo multa sunt præpostera et incomposita. Nam non raro vices temporum mutantur, calente hyeme et frigente æstate, itemque venti ac tempestates, inundationes agrorum, eruptiones vulcanicæ, terræ motus allaque mala naturam universam affligunt, ac perturbant. Ergo...

Resp. conc. Major., neg. Minor.

Ad probationem *dist.* Et hæc accidunt ut plurimum in natura, *neg.*; quandoque *subdist.*; ita ut hæc ipsa finem aliquem habeant, *conc.*, secus, *neg.*

Itaque, quemadmodum in argumentis dicebamus ipsam monstrorum existentiam ostendere tendentiam naturæ in certos aliquos fines, ita nunc possumus dicere, has ipsas consueti ordinis exceptiones et interruptiones probare, quod adsit in mundo certus ac determinatus ordo, certæque causarum naturalium tendentiæ ad certos effectus. Cæterum hæc ipse usitati ordinis perturbationes non sunt sine fine et sine ordine. Nam vel contingunt ex exigentia causarum naturalium, vel præter exigentiam earundem per miraculum. Si primum, adsunt fines in ipsa ordinatione naturali causarum existentium illos effectus. Sin alterum, fiunt et ordinantur a Deo in fines sapientiæ et bonitatis infinite, ad ostensionem gloriæ suæ. Ergo nunquam deest ordo in effectibus hujusmodi, licet non semper appareat, ut docet Augustinus (2). Nam vel ipse naturalis ordo postulat, ut illi interdum accidant, vel Deus providentissimus ita ab æterno decrevit, ut fierent ad manifestationem suæ gloriæ (3).

(1) S. Thom., 2.^o *Physicor.*, lect. 12, fin.

(2) Lib. 3 de *Trinit.*, cap. 2; et lib. 5, de *Genes. ad litteram*, cap. 21.

(3) Vide *Conimbric. loc. cit.*, q. 1, a. 3, *Ad secundum*.

Objic. 2.^o Si omnia tenderent in finem aliquem, non darentur in mundo res inutiles. Atqui plura passim videntur prorsus inutilia (1). Ergo...

Resp. dist. Minor. Plura sunt inutilia, id est, quorum usus et finis non sit nobis compertus, *trans.*; quorum nullus sit revera usus, *neg.* Nam in primis ex summa utilitate innumerorum entium, jus est concludendi nihil esse sine sua utilitate, licet nos eam ob ingenii tarditatem ignoremus; cum potissimum non semel acciderit, ut quorum prius fines et usus latebant, postea progressu scientiarum utilissima et ordinatissima sapientissimaque reperirentur. Deinde, cum Deus, infinite sapiens rerum omnium sit auctor, non potuit non singulis suos assignare fines. Quam ad rem præclare more suo scripsit Magnus Augustinus: *Si quis in alicujus opificis officinam intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, et, si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero, si in fornacem incautus incidit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciose et noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quæ ignorant; sed cum ea viderint, credunt necessaria et propter usum aliquos instituta: in hoc autem mundo, cujus conditor et administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, et in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire, quod nesciunt* (2). Denique et illud notandum est, naturam omnem corpoream mundi, ut mox ostendemus, in bonum hominis dirigi a Deo, quem in finem sapientissime provisum est, ut homo multa ignorare debeat in hac vita. Sic enim suam imbecillitatem agnoscit.

(1) Huc revocari possunt organa quædam in animalibus, quorum usus non apparet, et alia quæ dicuntur *rudimentaria*: de quibus videri potest Paulus Janet, *Oper. cit.* chap. 5.

(2) S. August. Lib. 1, de *Genes. contr. Manich.* cap. 16, ubi plura egi possunt sapienter ad rem nostram scripta.

Objic. 3.^o Si natura propter finem ageret magis beneficiam sese exhibuisset in homines, quam in belluas; quæ enim excellent in perfectione, beneficentius tractentur, oportet, nisi naturam rerum præpostere constitutam velis. Atqui natura magis se beneficam præbet in belluas, quam in homines. Nam illis vestitum et apta pro natura cujusque arma, facultates et instinctus suppeditavit, hominem vero nudum produxit, inermem, innumerisque expositum morbis et ærurnis. Ergo...

Resp. conc. Major., neg. Minor.; et ad hujus probationem, neg. conseq. Nam homo pro indumento et armis accepti a Deo mentis excellentiam et sagax ingenium ad querenda et excogitanda suis indigentis remedia; accepit etiam manum, quæ est instrumentum instrumentorum ad eadem conficienda. Adde, quod homo animal sociale sit, et in societate multo facilius et securius sibi providere possit. Denique et illud præ oculis habendum est, ærurnas omnes, quibus affigitur humana vita, totidem nobis esse occasiones ad exercendam perficiendamque virtutem, ut a terrenis ad cælestia animum erigentes, præmia mereamur æterna (1).

Objic. 4.^o Quidquid sit de homine. alia certe in mundo non tendunt in finem, vel non agunt propter finem. Nam homo non agit propter finem, nisi quatenus cognoscit illum. Atqui reliqua mundana entia nequeunt finem cognoscere, «vel quia omnino carent cognitione, sicut creaturæ insensibiles, vel quia non apprehendunt rationem finis, sicut bruta animalia» (2). Ergo...

Resp. neg. assertum. Ad probationem dist. Major. Homo non agit propter finem, tamquam seipsum agens et promovens ad illum, nisi quatenus cognoscit illum, conc.: homo non agit propter finem tamquam motus et directus ab alio, nisi quatenus cognoscit finem, neg.

Et concessa Minore, dist. conseq. Entia irrationabilia non tendunt in finem tamquam seipsa in illum promoventia, conc.: tamquam mota et directa ab alio, neg.

Itaque quando homo per seipsum agit propter finem, cognoscit finem; sed quando ab alio agitur, vel ducitur, puta cum agit

(1) Cfr. Conimbric. loc. cit. art. 3, Ad primum.

(2) Ap. S. Thom. 1, 2, quest. 1, art. 2, arg. 1.

ad imperium alterius, vel cum moveatur altero impellente, non est necessarium, quod cognoscat finem. Et ita est in creaturis irrationalibus (1). Rectissime enim solebat a veteribus res hæc illustrari non solum exemplo sagittæ, quod supra retulimus, sed etiam imperatoris, qui ita belli summam administrat, ut ipse ejus finem noverit, quem gregarii milites nesciant; quibus tamen cum imperatoris ductu regantur, sat est mandata ab eo accepta exsequi (2).

«Dices: quomodo potest esse, quod aliquid in certum finem tendat, et non præcognoscat illum? Non enim poterit ipsum attingere: sicut qui clausis oculis aliquo tendit» (3).

Resp. et «dico quod hoc convincit esse aliquam universalem causam omnes omnium fines providentem atque facientem et inclinantem omnia in proprios fines: et hic est gloriosus Deus. Ut enim sagittarius scopum inspiciens, impetum sagittæ imprimit, quo illo attingat, sic Deus gloriosus omnibus naturam dedit, qua etiam non prævisis finibus absque errore usque ad eos perducerentur. Et hoc est, quod dicit Aristoteles (4), hominem agere, cæteras res naturales potius agi, quam agere, id est, ab alia intelligentia, quæ ipsarum fines cognoscit, ad illos dirigi. Ob id dicitur opus naturæ esse opus intelligentiæ non errantis. Unde isti antiqui negantes naturam agere propter finem, in alio principio pejus errabant; non enim existimabant, Deum omnium esse causam universalem omnia providentem ac disponentem» (5). Et hæc causa est etiam, cur hodierni materialistæ atque athei tam acre bellum finalibus causis indixerint. Vident enim, agnita causalitate in natura, negari non posse causam aliquam ordinatricem extra mundum positam, quæ rebus omnibus et esse et ingenitas inclinationes ad suum cuique scopum indiderit. Et quia causam ejusmodi absque ulla ratione, immo contra omnem rationem, vanissimis præjudiciis insanissime

Cur opus
naturæ dicatur
opus
intelligentiæ.

(1) S. Thom. ib. ad 1.^{am} Cfr. loca S. Doctoris superius in prænotandis laudata, quibus adde quest. 22 de Verit., art. 1, ad 9.^{am}

(2) Conimbric., Physicor., lib. 2, cap. 9, quest. 2, art. 3.

(3) Apud Card. Tolet. 2.^o Physicor., cap. 8, quest. 12, vers. fin.

(4) 2.^o Physicor., cap. 6, text. 58, 59; 1.^o Ethicor., cap. 13.

(5) Tolet. (ibid.) Cfr. S. Thom. (1, 2, q. 1, a. 2 ad 3.^{am}), Conimbr. (2.^o Physicor., c. 8 et 9, q. 2, a. 2 et 3).

permoti, agnoscere detrectant, causas quoque finales, quantumvis evidentissimis factis compertas, respuendas sibi esse decernunt.

Objic. 5.^o Si creatura irrationalis non agit propter finem, nisi tamquam mota et directa a Creatore, non dantur in natura tendentiæ intrinsecæ, vel naturales appetitus ad certos ac definitos terminos, sed meræ externæ directiones, quales dantur etiam in motibus mechanicis, v. g. sagittæ in aliquem scopum extrinsecus ordinatæ. Id vero penitus destruit naturam.

Resp. neg. Major. Etenim *dupliciter contingit aliquid ordinari, et dirigi in aliquid sicut in finem: uno modo per seipsum, sicut homo, qui seipsum dirigit ad locum, quo tendit: alio modo ab altero... Sed hoc dupliciter contingit: quandoque nempe id, quod dirigitur in finem, solummodo impellitur, et movetur a dirigente, sine hoc quod aliquam formam a dirigente consequatur, propter quam ei competat talis directio vel inclinatio. Et talis inclinatio est violenta; sicut sagitta inclinatur a sagittante ad signum determinatum. Aliquando autem id, quod dirigitur, vel inclinatur in finem, consequitur a dirigente, vel movente, aliquam formam, per quam sibi talis inclinatio competat: unde et talis inclinatio erit naturalis, quasi habens principium naturale, sicut ille qui dedit lapidi gravitatem, inclinavit ipsum ad hoc, quod deorsum naturaliter fertur. Et per hunc modum omnia naturalia in ea, quæ eis conveniunt, sunt inclinata, habentia in seipsis aliquod inclinationis principium, ratione cuius eorum inclinatio naturalis est, ut quodammodo ipsa vadant, et non solum ducantur in fines debitos. Violenta enim tantummodo ducuntur, quia nihil conferunt moventi; sed naturalia vadunt in finem, in quantum cooperantur inclinanti et dirigente per principium eis inditum (1). Et quia qui dat naturalem virtutem et inclinationem alicui rei ad agendum, dicitur etiam causa actionum illius; sicut percussio, quæ fit per sagittam, non tantum dicitur opus sagittæ, sed*

(1) S. Thom. (*de Veritat.*, quæst. 22, art. 1. Cfr. 1 p., quæst. 60, art. 1; et lib. 12 *Metaph.* lect. 12, par. c); Tolet. (lib. 2, *Physic.* cap. 8, quæst. 12); Conimbric. (lib. 2 *Physicor.* cap. 89, quæst. 2, art. 2), Rub. (ibid. cap. 9, quæst. unic.)

projicientis; ideo omne opus naturæ dicitur a Philosophis opus intelligentiæ (1). Quamobrem in actionibus naturalibus entium irrationalium directio quidem in finem est ab extrinseco, tendentia vero in illum ab intrinseco. Et ob hoc principium intrinsecum operationum, quod Deus rebus impressit, docet alibi S. Thomas naturam subdī legi æternæ Dei (2): quia nempe istæ internæ tendentiæ ad proprios fines, ut inferius ex eodem Angelico Doctore statuemus, constituunt leges naturæ, quæ sunt participationes legis æternæ.

Objic. 6.^o «Agere propter finem est ordinare suam actionem ad finem. Sed hoc est rationis opus. Ergo non convenit his, quæ ratione carent» (3).

Resp. quod ordinare in finem est ejus, quod seipsum agit in finem; ejus vero, quod ab alio agitur in finem, est ordinari in finem, quod potest esse irrationalis naturæ, sed ab aliquo rationem habente (4).

Objic. 7.^o Si omnia agerent in natura propter finem, appeterent finem. Sed appetitus proprius est tantum modo entium cognitione præditorum, nam appetitus supponit liberationem et electionem. Ergo...

Resp. dist. Major. Appeterent finem, appetitu sive elicitō sive innato ac naturali *conc.*; elicitō, *subdist.*; si agerent propter finem seipsa promovendo, ac dirigendo ad illum, *conc.*; secus *neg.* Et *contra*dist. Minor., *neg.* conseqq.

Objic. 8.^o Si agentia naturalia agunt propter finem, dicendum est finem exercere suam causalitatem in illa; hæc enim duo correlativa sunt. Atqui finis nequit exercere causalitatem ullam in agentia non rationalia. Nam finis non causat nisi secundum esse intentionale, nempe quatenus cognoscitur; agentia vero irrationalia non cognoscunt finem.

Resp. dist. Major. Si agentia naturalia agunt propter finem seipsa ad illum promovendo, dicendum est finem exercere suam causalitatem in illa, *conc.*; si agunt propter

(1) S. Thom. (*de Verit.* quæst. 5, art. 2). Cfr. Albertus Magnus (*Physicor.* tract. 3, cap. 4); Suarez (disp. 23, *Metaph.* sect. 10), Conimbric. (lib. 2^o *Physicor.*, cap. 89, quæst. 2, art. 2).

(2) S. Thom. 1. 2. quæst. 93, art. 5.

(3) Apud S. Thom. 1, 2, quæst. 1, art. 2, arg. 2.

(4) S. Thom. 1, 2, quæst. 1, art. 2, ad 2.^{am}

finem directa ab alio: *subdist.*; finis exercet suam causalitatem in illa, prout præcise eorum actiones spectantur, *neg.*; prout actiones eorum diriguntur, et ordinantur ab alia causa intelligenti, *conc.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam in actionibus naturalium agentium, ut ab eis procedunt, non est propria causalitas finalis, sed solum habitudo ad certum terminum; ut vero procedunt a Deo, simili modo est in eis causalitas finalis, sicut in aliis externis et transeuntibus actionibus Dei. Adæquatum enim principium harum actionum non est solum proximum agens naturale, nisi forte secundum quid, scilicet in tali ordine, tamen absolute præcipuum est prima causa: ideoque in adæquato principio talium actionum includitur intellectualis causa intendens finem earum (1).

Objic. 9.^o Si natura ageret propter finem, intenderet semper bonum. Atqui non semper intendit bonum. Nam sæpe dantur corruptiones et interitus in natura, qui certe bonum non sunt, cum consistant in privatione et carentia boni.

Resp. neg. Minor. Nam corruptiones et interitus non directe intenduntur, sed indirecte, quatenus nempe intenditur generatio alterius. «Corruptio, inquit Toletus, dupliciter consideratur: uno modo ex parte ipsius corrupti, et sic non est propter finem; altero modo ex parte corruptentis, et sic propter finem est; non quod ipsa sit intenta tamquam finis, sed quia agens corrumpit, ut generare possit, ac ob id in finem est ordinata» (2).

Hisce argumentis, quæ jam diu proposita et explicata fuerant a priscis Doctoribus, præoccupatæ manent præcipuæ difficultates a recentioribus objici solitæ (3). Verum quasdam alias non minus fuitiles a celebrioribus scriptoribus propositas, adhuc dissolvere oportet.

Objic. 10. Doctrina finalitatis pervertit ordinem naturalem causarum et effectuum, siquidem causam in effectum, et effectum vicissim convertit in causam. Sane cum unum

(1) Suarez (disp. *Metaph.* 23, sect. 10, n. 6).

(2) Tolet. lib. 2.^o *Physicor.*, cap. 8, quæst. 12, ad tertium. Plura videri possunt apud S. Thom., locis cit.; et *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 2, i. 2, quæst. 1, art. 2. Cfr. alii veteres auctores superius laudati.

(3) Cfr. etiam alie superius solutæ n. 26.

dicitur esse *propter* aliud, puta oculus videndi, auris audiendi gratia, oculus et auris, quæ causæ sunt visionis et auditionis, causalitati subjiciuntur sui proprii effectus (1).

Resp. Difficultas hæc nullam vim habet, ac tota quanta procedit ex ignorantia finalis causæ. Hæc enim non causat, nisi prout cognoscitur, vel prout existit jam intentionaliter in intellectu. Et quoniam potest aliquid cognosci antequam sit in rerum natura, et bonitate sua voluntatem ad sui desiderium allicere; nihil mirum, si finis in genere causæ finalis possit causare illud ipsum, a quo causatur in genere causæ efficientis. Sic optime concipitur, nec omnino repugnat, quod prima causa hominis volens illum visione prædicitum esse atque auditione, intuitu horum actuum affabre organa efficiat ad prædicitum finem accommodatissima. Verum hæc abunde constant ex dictis in *Ontologia* (2).

Objic. 11. Inquisitio finalium causarum, ut ipsa scientiarum historia testatur, nocet causarum physicarum seu naturalium cognitioni. Nam veteres dum fines studiosè perscrutarentur, veras causas naturales neglexerunt: unde etiam non raro falsos rebus fines assignarunt (3).

Resp. neg. assert. et anteced. et consequentiam probationis. Inquisitio finalium causarum non magis nocere potest causarum efficientium cognitioni, quam inquisitio v. g. vel studium cordis nocere possit cognitioni et studio pulmonum; sed e converso maxime perficit, et complet. Cum enim certum sit dari causas finales, accurata et completa cognitio naturæ cognitionem causarum omnium, atque adeo finalium requirit. Atque ita etiam sæpe numero videmus homines, postquam reliquas causas noverunt v. g. in artefactis, nondum quiescere, donec finis etiam, ad quem ordinantur, notitiam comparent. Cum potissimum ex fine optima ratio desumatur ad rerum intimam naturam rimandam: est enim finis mensura et regula, secundum quam artifex suam operi

(1) Ita Spinoza (*Ethica* 1.^a part. *Appendix*), et Buffon (*Histoire des animaux*, chap. 1), apud Paul Janet (*Op. cit. Appendice*, paragr. VI). Et præverat dudum Lucretius (lib. 4, carm. 822 seq.).

(2) Vide *Ontol.* a num. 416, pag. 1174 seqq.

(3) Ita ex Bacono a Varulamio (*de Dignitate scientiar.* lib. 3, cap. 4).

consentaneam præscribit perfectionem: unde etiam commune illud profectum est effatum, secundum quod potentia dicuntur specificari per actus, actus vero per objecta, de quo alibi diximus (1). Quod autem prisci scriptores causas physicas propter finales neglexerunt, non puto verum omnino esse; nam summorum illorum Doctorum volumina legenti patet illic, eos nihil re vera *neglexisse* in inquisitione naturæ, quamquam non potuerunt propter vitium temporum, arcana omnia penetrare. Verum etiamsi illi propter finalium causarum physicas et efficientes neglexissent, ratio hæc Philosopho digna non esset, ut a finium inquisitione abstereremus. Mirum autem est Baconem, dum tale crimen Scholasticis objiceret, in contrarium vitium multo turpius incidisse; ipse enim, ut causas physicas et efficientes unice investigaret, finium considerationem non solum neglectam voluit, verum etiam penitus interdictam naturalibus scientiis; unde ansam præbuit et exemplum recentioribus materialistis, empiristis ac positivistis indignissime debachandi contra finales causas, non sine ingenti veræ scientiæ detrimento.

Instabis cum Cartesio. Causæ finales rerum supra caput nostrum positæ sunt. Ergo temerarium est illas inquirere; quæ proinde jure merito naturalibus scientiis interdicendæ sunt (2).

Resp. dist. antec.; aliquæ, vel si vis etiam multæ, *conc.*; omnes, *neg.* Et *neg.* conseq. In primis enim supremus omnium rerum creaturarum finis demonstrari per rationem potest, ut videndum est in sequenti articulo; proximi autem fines

(1) Vide *Ontolog.* n. 224.

(2) «Dum hæc perpendo attentius, occurrit primo non mihi esse mirandum, si quedam a Deo fiant, quorum rationes non intelligam, nec de ejus existentia ideo esse dubitandum, quod forte quedam alia esse experiar, quæ quare, vel quomodo ab illo facta sint, non comprehendo; cum enim jam sciam naturam meam esse valde infirmam et limitatam, Dei autem naturam esse immensam, incomprehensibilem, infinitam, ex hoc satis etiam scio innumerabilia illum posse, quorum causas ignorem; atque ob hanc unicum rationem totum illud causarum genus, quod a fine peti solet, in rebus physicis nullum usum habere existimo; non enim absque temeritate me puto posse investigare fines Dei. (Cartesius, *Meditationes*, medit. 4.^a, pag. 26. Amstelodami 1678.)

et remotiores etiam partim cognoscuntur, partim sperare licet fore, ut cognoscantur, quamvis non omnes in hac misera vita, progredientibus magis scientiarum naturalium inventis novisque inquisitionibus. Quare fines quidem, quos Deus libere potuit rebus imponere, præcisâ revelatione, cognoscere non possumus; at finium naturalium, quantum ex naturæ mundaniquæ ordinatione contemplatione concludere licet, inquisitio non magis temeraria dicenda est, quam essentiarum ipsarum inquisitio; sed e converso valde consentanea est ingenio hominis, quippe qui rationem ideo divinitus accepit, ut ex variis rerum causis, essentias primum cognosceret, sicque demum ex visibilibus ad invisibilia, ex creatis ac finitis ad increatum et infinitum assurgeret.

Objic. 12. Denique ut alia omittam, contra finales causas sic fatur Spinoza: α) Ignorantia causarum efficientium impulit homines ad hypothesin fingendam finalium causarum, quæ β) non solum permiscet causam cum effectu, quemadmodum superius objectum est, verum etiam minus perfectum perfectiori subjicit. Sane res omnium perfectissimæ sunt illæ, quæ a Deo immediate efficiuntur, effectus autem eo imperfectiores existunt, quo plures causæ mediæ in eorum productionem concurrunt. Ergo si res a Deo immediate creatæ ad aliquem finem attingendum ordinarerentur, eo ipso imperfectiores redderentur, utpote quæ intuitu aliarum, nempe finium, ac proinde illis subordinatæ, efficerentur. γ) Eadem hypothesis finium supponit Deum pauperem et egenum, qui mundo indigeat ad fruendum sua gloria. δ) Denique causæ, quæ finales dicuntur, plane cum efficientibus identificantur. Nam id, quod causæ finalis nomen accipit, aliud reapse non est, quam appetitus vel desiderium, quo quis ad aliquid obtinendum urgetur, atque impellitur: sic cum dicitur finis ædificandæ domus esse parere habitationem, id tantum significatur, quod animo sibi *representans homo vitæ domesticæ commoda, domum exstruere exoptat*. Atque appetitus vel desiderium hujusmodi, ad efficientem causam domus revocanda est. Ergo... (1).

Resp. Ad α) *neg.* simpliciter.

(1) Ita Spinoza apud Paulum Janet, *Op. cit.* *Append.* paragr. VII.